



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Periculum vitæ ppriæ non timens, eo potest peccatum incurrere,
oppositum fortitudini & rationi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

370 Interrogat. confes.

Decimum præceptum. Non concupisces vxorem proximi tui. Hic de peccatis carnalibus in corde, & consequenter in loquutione. Si concupiuit mulierem alienam, aut consanguineam &c. secundum supradictas species luxuriæ. Si misit ad hoc nuncios, si literas. Si fuit mediator ad hoc aut adiutor. Si oculis aut nutibus prouocauit. Si in Ecclesia aliquid horum fecit: & peius si in missa &c. Et hic occurrunt innumerabiles actus amantium, quod ipsi sciunt &c.

Confessor qualiter interrogare habeat confitentem circa capitalia vitia.

Interrogationes autem de septem vitiis capitalibus non arbitramur aliter apponendas, quam remittendo ad ipsa vitia: vt scilicet confessor videbit in verbo, superbia, quæ sunt superbiæ: & in verbo, gloria, quæ sunt inanis gloriæ. & in verbo, auaritia, quæ sunt auaritiæ: & sic de aliis, ne contingat idem repetere. Similiter circa status diuersos hominum: siue communes, vt coniugatorum: siue speciales, vt Episcoporum, beneficiariorum, clericorum, religiosorum, visitatorum, iudicum, aduocatorum, procuratorum, medicorum, magistrorum, doctorum. Artificum verò diuersorum peccata, iniis quæ fraudis sunt applicata ad illam materiam maximè videntur consistere: & ideo non duxi republicanda.

Periculum vitæ propriæ non timens, eo potest peccatum incurrere, oppositum fortitudini & rationi.

Intimiditas (qua homo non timet pericula vitæ, integritatis membrorum, & bonorū temporalium, quando, vbi, cur, & sicut oportet) peccatum est contrarium fortitudini: quia cōtra rectam est rationem. Est autem peccatum mortale, quando ex consensu deli-